MANOSCRITTI

FONDO JOPPI

Manoscritto n. **J_MSS_0364**

I manoscritti che compongono compongono il fondo, assieme alle migliaia di testi a stampa - compresi rari incunaboli e cinquecentine - il Fondo Joppi, sono quasi esclusivamente di interesse friulano. La raccolta si è formata nell'arco di una sessantina di anni grazie alle ricerche di Vincenzo ed Antonio Joppi.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine - Inventario dei manoscritti del Fondo Joppi
https://www.techeudine.it/fondo-joppi
https://www.sbhu.it/

1542 29 Genuaio

Testamentum Hieronymi Aleandi Cardinalis. di S. Crisogono e Arcivescovo di Brindisi

1542.

29. Jan.

Romae.

di Motta di Livenza.

~~319~~
364

Copia. Exemplum sumptum ex alio consimili authentico extracto in membranis, existente apud perill:^em et R.mum D. Franc:^um Aleandrum Equitem Pont:, et Proton:^m Apostolicum, per me Antonium Monticanum Mag.^ce Com.^tis Mothe Cancellarium &.

In nomine D.ni Amen. Per hoc presens Instrumentum cunctis pateat evidenter, et sit notum, quod anno a Nativitate eiusd:^m D.ni Millesimo quingentesimo quadragesimo sec.do, Ind:^ne XV, die vero Dominica vigesima nona mensis Ianuarij, summo mane, inter horam decimam tertiam et decimam quartam Pontificatus S.^mi in Christo Patris et D.ni Nostri Pauli Divina Providentia Papae III. anno octavo, in mei Notarij publici, testiumque infrascript:^m presentia ad haec specialiter vocatorum, et rogatorum, constitutus R.mus Pater D. Hieronymus Aleander tit: S.^ti Grisogoni S. R. E. Presb.^r Cardinalis, Brundusinus Archiep:^s et Ostunensis, vivus per Dei gratiam mente et intellectu et corpore mediocriter valens, considerans quod nihil est certius morte, hora autem mortis nihil incertius, et ideo sapientis esse eam semper prae oculis habere, et ita vivere, ut quacumque hora venerit D.nus, et pulset reperiat nos paratos; Et quod inter alia, quae paranda sunt non est minimum domui prospicere, cum Ezechiae Regi mortem nunciaturus

Propheta

Propheta, primum instruit prospicere domui;
et Abraham gravatus senio dispensavit inter
filios bona sua, et filios concubinarum sepa=
ravit a filio legitimo et naturali Isaac adhuc
vivens, ne post mortem suam super divisionem
venirent in discordiam. Idcirco mortem habens
pre oculis, exemplo tantorum, tamque sanctorum
virorum, dum mens sana, et nullo distracta
dolore, sed tota in se se collecta perspicatius videt
rebus suis pro pace, et quiete successorum, ordi=
nem dare volens, suum testamentum sine
scriptis, quod nuncupativum dicitur, in vim
facultatis sibi ut asserit per felicis recordationis
Clementem Papam VII. concessae, et per sanct: D.
N. Papam Paulum III. confirmatae, et alias omni
meliori modo, via, iure, causa, et forma, quibus
magis, melius et validius potuit et debuit, con=
didit in hunc qui sequitur modum, videlicet. —
In primis comendat animam suam Deo Omnipo=
tenti Creatori suo, cui humillime supplicat, ut
sibi ignoscere dignetur peccata, quae (proh dolor) agno=
scit, et fatetur se in hac vita sua culpa commi=
sisse, et quia agnoscit se tanta gratia indignum, pre=
catur D. O. M. ut saltem precibus et meritis Beatae
semper intemeratae Virginis Mariae, et omnium
sanctorum, dignetur pius, et misericors Deus lar=
gitas praedictorum peccatorum veniam sibi dare, et
animam suam ad vitam aeternam perducere. —

Item

Item declaravit, et per Deum Immortalem testatus fuit se semper tenuisse, et tenere ac profiteri eam fidem, quam Maiores sui ab immemorabili evo, iuxta ritum S. R. E. professi sunt, et tenuerunt, et in ea fide et Religione auxilio Dei, se vivere, et mori intendere, sicut hactenus fecit. —

Item declaravit et Deum Immortalem testatus fuit, quod in omnibus legationibus suis, quas pro Sancta Sede Apostolica gessit, et in omnibus alijs actionibus suis fideliter, sincere, et summa cum integritate omnia tractavit, et fecit pro viribus; et quod in omnibus suis legationibus nullum unquam munus accepit, neque ab Imper. neque ab alijs Regibus, et Principibus Christianis, apud quos munere legationum pro S. Sede Ap. ca ipsius perfunctus fuit —

Item ordinavit si contigeret eum mori Romae, vel in loco vicino, quod tunc corpus suum in templo divi Onophorii sui Tit. cum pompa, quam potest fieri minima; et inde quanto citius fieri poterit ad Oppidum Mothe, quod sibi solum Natale est Leut= tensis Dioecesis transferatur, et ibi in Ecclesia Beati Nicolai, cuius praedictus Dnus J. Testator alias fuit Commendatarius, et in qua venerabile Lavacrum sacrosancti Baptismatis suscepit sepeliatur; quo in Ecclesia in latere sinistro Capelle magne, in loco eminenti, voluit sibi per heredes suos erigi Monumentum, non ad pompam ullam

ullam, neque ad inanem gloriam, sed ad excitandos exemplo suo Cives, et posteros suos ad virtutem, et ut aspectu admoniti orent Deum pro anima sua. Cuius tamen in Sepulcri, sive Monumenti structura voluit modestiam servari, et ultra trecentos ducatos auri non exponi. —

Et si ipsum extra urbem decedere contingeret, longe ab urbe Roma, tunc voluit depositum fieri in principaliorem Ecclesiam illius loci, ubi decesserit, sive fuerit Cathedralis sive Collegiata, sive Parochialis, sive Monasterium, et postea fieri in Motham Natale Solum, et fieri ut supra. — Ceterum Ecclesiæ, in qua fiet depositum legavit ducatos auri viginti quinque semel tantum, et infra octo dies a deposito facto solvendos. —

Item voluit quod funus suum, et exequiæ suæ fiant pompa et apparatu quam fieri potest minimo in ea Ecclesia, in qua factum erit depositum. —

Item voluit, quod cum corpus suum transferetur Motham in Natale Solum, quod tunc in dicta Ecclesia S.^t Nicolai fiant sibi exequiæ cum dono luctus more Rev.^mum Cardinalium, modeste tamen, quod ita fieri ordinat, non ad pompam, sed ad excitandos ut supra Cives, et Posteros suos ad virtutem exemplandam, qua sola fretus pervenit ad huius dignitatis Culmen. —

Heredes suos universales instituit, et ore proprio nominavit, in omnibus bonis et iuribus, actionibusque suis, tam paternis, quam Castrensibus, quæ deductis

legatis

legatis, quæ infra faciet, ac sumptu funeris, alijsque oneribus hæreditatis, superenent Sm.[um] D. Franc.: Aleandri et alios filios Masculos Mag.[ci] Equitis D. Vincentij Aleandri fratris sui pro uno quadrante; et itidem Reverendum Dionysium filium q.[m] Danielis Aleandri ipsius Rmi Dni Testat.[s] similiter fratris pro altero quadrante. Et Dnum Claudium filium suum naturalem legitimatum in semisse restante. quos inter se substituit vulgariter, pupillariter, et per fideicomissum. Et in eventum, in quem supranom.[ti] sibi hæredes non fuerent, vel facti deficerent, tunc in partem non existentis hæredis, vel deficientis, substituit, et hæredes esse voluit eorundem non existentium, vel defectorum filios masculos, aliosque eorum descendentes masculos tantum, in stirpe et non in capita, in infinitum, nec attenta etiam gradus prærogativa. —

Item declaravit in dicto Oppido Motte emisse duas domos contiguas, unam ab hæredibus q.[m] Caroli Aleandri, et alteram a quodam Magistro Alexandro Cerdone. In his voluit quod dictus D. Claudius possit habitare in primo tabulato. —

Et casu, quo descendentes hæredum suorum masculi deficerent, voluit in dictis duabus domibus succedere masculos tantum de linea Dni Aloysij Aleandri patruelis dicti Sm.[i] D. Testatoris, et illis deficientibus masculos de linea q.[m] Dni Caroli Aleandri, et illis similiter deficientibus masculos

de linea

de linea Mg.ci et Clariss.mi D. Macherii Georgij Lataiky Veneti, et illis quoque deficientibus, Consilium dicti oppidi Mothy, ut in parte superiori dent habitationem Medico, et in parte inferiori Magistro scholae puerorum dicti oppidi, et sic dictae duae domus subiaceant fideicomisso, nec possint alienari unquam. —
Item voluit Ill.mus D. Testator omnia bona sua stabilia, omnesque actiones sibi ad bona stabilia competentes esse fideicomissa inter dictos haeredes et eorum haeredes in infinitum, quamdiu eius domus durent libera ab omnibus oneribus, etiam falcidiae et trebellianicae, et nullo unquam futuro tempore eorundem bonorum proprietas obligari possit, nec pro dotibus quidem recipiendis, neque distorari, aut alienari ex quacumque causa quantumcumque necessaria; et qui eorum secus fecerit, eius partem voluit devolvi ad alios cohaeredes aequis portionibus. Et si omnes in id convenirent, omnes voluit in dictis bonis excidere, et illa ad proximum, seu proximos in grado de familia Aleandrorum, de quibus supra devolvi. Et hoc esse et servari voluit pro lege in infinitum inter suos haeredes, et successores, etiam post quartam generationem. —
Et in eventum, in quem aliquis haeredum et successorum committerent delictum, propter quod bona eius publicari, et in fiscum regij redigi mereventur, in eum casum voluit talem a parte, quam in dictis bonis haberet, cadere, illamque cohaeredibus accrescere, vel ad proximum in grado devolvi,

donec

donec privatus impetret restitutionem, a facultatem restituendi habuerit, qua impetrata, voluit in partem amissam, ac si nunquam deliquisset, reverti. —
Item ne successu temporis memoria bonorum stabilium, quæ moriens relinquet intereat, voluit de illis fieri inventarium cum designatione opportuna situs, mensuræ, et confinium. R.do D. D. Io: Baptæ Aleando fratri suo Can.co Carnotensi, et Proton.rio Apost.: quia satis provisum est in redditibus ecclesiasticis, legavit duntaxat ducatos ducentos auri, qui sunt pro dote Iuliæ ipsius D. Io: Baptæ filiæ naturalis. Et hoc legato rogavit eum esse contentum, et ipsius R.mi D. Testatoris substantia, et hæreditate, quæ modica est, et nepotes multi sunt, quibus pro honore familiæ habenda est ratio: quando si Deus sibi prorogaverit vitam, spem habet maiora illi procurandi. D. Lauræ filiæ qu. D. Fran.ci Nepotis sui legavit scutatos ducentos. Antonio Mariæ Aleando filio naturali qu. D. Danielis fratris sui pro honore tam familiæ, quam ipsius Testatoris legavit victum, et amictum honestum, ac condecentem tanquam si legitimus foret, dandum ab hæredibus suis, donec sibi aliunde provisum fuerit, unde ipse se se possit nutrire, et vestire. —
Ludovico Gorgo Nepoti ex Ambrosia sorore sua legavit in subsidium studii sui, legavit ducatos quinquaginta. —
Fratribus S. Mariæ in via de Urbe, pro salute animæ suæ, legavit ducatos decem. —

Fratribus

Fratribus S. Sabinae de Urbe Ordinis Praedicatorum legavit ducatos viginti pro salute animae suae. —
Libros declaravit habere multos, et Romae et Mothe et Feltrij, et alibi; hos omnes voluit congregari in unum, et inventariari ac Venetias deferri, et ibi in Monasterio S. Mariae de Horto reponi conservandos, ad utilitatem studiosorum, tam Religiosorum, quam secularium. Et si Religiosi dicti loci haberent Bibliothecam, aut Bibliothecam vellent construi facere, tunc vult illos libros esse datos et dedicatos dictae Bibliothecae, cum onere tamen, ut praedicti Religiosi unam Missam quotidianam celebrari faciant in dicto Monasterio pro anima dicti Domini Testatoris, et Parentum suorum, et pro omnibus alijs pijs Christianis defunctis. —
Hanc autem curam delegavit infrascripto Domino Francisco Nepoti, et Claudio Aleandro filio suo, quibus absentibus voluit a quocunque moveri loco, aut attrectari libros, qui sunt in urbe. Librorum vero qui sunt Feltrij transferendorum Venetias curam committit praefato D. Francisco nepoti; quem propter regressum, et accessum, quem inde D. Franciscus habet ad Canonicatum et Praebendam in Cathedrali Ecclesia Feltrensi nec non ad Praepositurum Collegiatae Ecclesiae S. Ioannis dictae Civitatis Feltrensis, sperat illuc iturum.
Scripturas vero alias domesticas, et privatas quas habet, ut asseruit, in quibusdam capsis inclusas, similiter vult non moveri loco, neque a quodam attingi absente D. Claudio filio suo, sed eas conser-

vari

conservari, et consignari dict. D. Claudio Aleandro, cum memoriali, quod facere intendit, si deo favente resultat vita; quo a memoriali dictus D. Claudius cognoscet quid de illis debeat scripturis facere.

Debita mandavit dissolvi, quae tamen declaravit habere parva, nec recordari plurimum quam decem, nempe scut. septuaginta quinque pro residuo censuum, quae alias habuit mutuo a Mag.co D. Io: Floreni Parisiensi, et ducatos triginta largorum, quos habuit alias a quodam spect: D. Augustino Centurione, facta desuper obligatione, prout in libro rationali ipsius D.ni D. Testatoris, quos ducatos non solvit, quia sibi numquam constitit, qui essent heredes dict. D. Augustini.

Item ducatos viginti pro residuo quinquaginta, quos alias habuit mutuo a bone mem: Dno Felice, dum vixit, Archiep.o Theatino, de quibus credit esse Chirographum, quod solvendo voluit recuperari. —

A Nicolao Beccini, et socijs Mercatoribus Florentinis Ro: ..... novissime accepit in creditum nonnullos drappos, et panos, quos similiter adhuc debet. —

Nec recordatur aliorum debitorum, quae habeat, quam supra scriptorum; si tamen alia reperientur (quod non credit) de quibus legitime constarit, nec esset satisfactum, ea quoque voluit exolvi. —

Credita sua mandavit exigi ad supplendum ex eis onera funeris, et exequiarum, et aliorum, quae

fiunt

fuint de more Ecc. onora eta vegeret modicati
fieri, ut valorem mobilium, que tempore mortis repe=
rientur in Urbe, iunctis his creditis non excederent.
Stabilia enim, que sunt in partibus, propter hec onera
nolet aliquo modo, aut ere alieno gravari —
Declaravit autem habere credita sequentia.
In primis est creditor D. Tomasij et Jo. M.e de Venetijs
Venetijs commorantium prout ex eorum computo
novissime transmisso, ac D. Benedicti Iunctij eorum
respondalis Romę, prout ex quodam Chirografo con=
fecto manu D. Ioann.s de Peccia.
2do est creditor Dni Fran.ci Soffio procurat.s sui in
Brundusina et Oritana Ecclesijs respective unitis,
a quibus ipse Ammus D. Testator pręesse dignoscitur oc=
casione administrationis, quam idem D. Fran.cus fecit
in fructibus dictarum Ecclesiarum, ex quo credito lega=
vit Ecclę Brundusinę unum claustrum textile ad men=
suram Neapolitaniam d cultum divinum, et tandem
Ecclę Oritanę, et tandem ipsi D. Fran.co Soffio, et hos
ultimos tunc demum postquam de omnibus rer
ipsum administratis legitimum reddiderit rationem.
3.o est creditor Prepositure Valentinę, quam ipse Ammus
Testator possidet, et ad quam prefatus D. Fran.cus Soffius
Alenos habet regressum, sive accessum in multis
ducatis centenijs, prout ex computis Vdi: Capituli
dictę Ecclesię Valentinę scire poterit, seu potius
[illegible] Dni Petri Domenico Mercatoris Valentini,
qui eos fructus multis annis exegit, de quibus
rationem reddere debet. —
4.o est Creditor Hospitalis de Treus, et Parochialis
de

de Attevilla Carnotensis et Senonensis diecesis respective, quibus Auct Apost: prefesit dignoscitur occasione fructuum eorundem perceptorum, et non habitorum.

5.° est Creditor Praepositurae S. Ioan: Geodiensis, ad quam similiter regressum habet Test. D. Ioan. eius Nepos seu potius Dñi Henrici Deuten procuratoris sui occasione fructuum eiusdem Praepositurae, quos idem D. Henricus exegit, et de his habet reddere computa.

6.° est Creditor D. Hieronymi Torelli in certis pecuniarum summis occasione pensionum sibi Apost: Auct. reservatorum super fructus Beneficiorum ecclesiasticorum, quos idem D. Hieronymus obtinet, prout in literis Apost.cis, quas ipse Annus D. Testator habet expeditas, videre est.

7.° est Creditor Camerae Apost.cae seu Dñi D. datarij, qui pro Camera solvere consuevit, occasione salarij Bibliothecae Apost.cae, quod sibi debetur usque ad promotionem de persona sua facta ad Cardinalatum honorem, nec hactenus quidquam habuit eadem causa, quorum, nec hactenus quidquam habuit eadem causa, ... pro maiori etiam parte temporis intermedij absens fuit, occupatus semper in Legationibus pro S. Sede Apost.ca propter quam absentiam eidem salarium exigendo vacare non potuit, neque etiam postquam rediit ad Urbem quicquam sibi solutum est per eundem Dñum datarium, vel Cameram Apostolicam, aut quemquam alium eorum nominibus. Nec ipsi Dño Dño Testatori, quominus sibi debeatur dictum salarium, obstat ipsius ab Urbe absentia, quia

motum

motum proprium habet signatum manu f. recordᵃ Clem. Papæ VII quo declaratur ei habere currere hoc salarium, absentia sua non obstante, quia absens pro Sedᵉ Apostᵒᵃ negotijs. Quæ facultas postea mortuo d.ᵗᵒ f. Papa Clemente, et in eius locum suffecto S. D. N. Paulo Papa III. per Sanctitatem suam fuit confirmata, ut apparet per literas secretariorum Sanct.ᵗⁱˢ suæ, quæ sunt apud Rᵐᵘᵐ dnum Testatorem.

Et hoc in una manu. —

Deinde in alia manu declarat se, cum e postrema sua legatione Germanica esset reversus, mansisse creditorem eiusdem Cameræ Apᶜᵃᵉ, sive Rmi D. Datarij exceptis in salario mensium decem cum dimidio suæ legationis, quod salarium ascendebat ad summam scutorum mille ducentorum quinquaginta auri; e quibus sibi S. D. N. nuper antequam iret Niceam ... fecit salarium unius mensis. Et scuta ducentum quinquaginta dimidij mensis ipse Rmus Dnus Testator remittit, cum in redeundo a legatione aliquot dies quindecim consumpsit in patria sua commorando, quibus detractis, supersunt adhuc scuta quingenta pro mense restanti.

Et quia Rmus Dns Testator pro S. Ap. multis annis multos pertulit labores, et multa adijt pericula etiam vitæ suæ, multa propterea passus est damna, et id libentissime ad comodum, et honorem huius S. Sedis, procurans semper pro viribus potius quam suas ipsius utilitates. Et ex alia parte quia pro dignitate Cardinalatus fieri consueverunt, sine

hoc

adiutorio consequi non potest; Ideo se se Devot[mè]
prosternit ad pedes S. D. N. humiliter supplicans,
ut hæc paterno affectu considerans, dignetur
de creditis huiusmodi, quæ habet cum Camera,
et Dataria Sanct:[tis] suæ satisfieri mandare, Ipsius
Dnis executoribus infrascriptis ad faciendum
sibi defuncto ea iuxta quæ Rmis Dnis Cardinalibus
morientibus fieri consueverunt ad sublevandam
hæreditatem, quæ tenuis est, ab omnibus dignitatibus
Cardinalatus solitis et consuetis. —
Executores huius Testam:[ti] in Curia instituit
Rmos D. Petrum Cardinalem Bembum, Hubertum
Card: Gambarum, Marcellum Card: S.[tæ] Crucis, ac
Alexandrum Card: Farnesium vulgariter nuncu:
patos; Ita tamen ut sufficiat ea exequendo
intervenire duos ipsorum.
Ad ipsius Rmi D. Testatoris nomine deferendum
ad S. D. N. suprascriptam ipsius supplicationem,
et hæredibus suis in omnibus favorabiliter assis:
tendum, et ut omnia in præsenti Testamento
debitæ executioni mandentur superintendere,
quorum prudentiæ committit remunerationem
servitorum, qui tempore mortis erunt in
servitio ipsius Rmi Dni Testatoris; Nec non
moderationem funeris sumptus, et exequiarum,
et quorumcumque aliorum, quæ de more fieri con:
sueverunt mortuo Rmo D. Cardinali, habito in
omnibus respectu ad vires hæreditatis, ut valor
mobilium

mobilium in Urbe, et suprad(ic)tarum creditorum excedatur. Utque bona, quae sunt in partibus, ad ... suae dignitatis onere non minuantur, aut aere alieno onerentur; Rogans eosdem Emos Dnos Cardinales omni cum reverentia, et honore, ut intuitu Dei, et mortalitatis communis hoc ultimum offitium pro ipsorum benignitate, et sua in illos observantia, sibi praestare ne graventur. Quibus addidit praefatum D. D. Joannem Aleandrum Nepotem suum, et Claudium filium coniunctim, qui ordinanda per praefatos Emos Dnos Cardinales exequantur, et ipsos Emos Dnos quantum eorum sublimitatibus parci poterit, sublevent a laboribus; cum potestate calculandi cum personis, quibus cum sibi in dando, recipiendoque, aut aliter quomodocumque negotium fuit et calculos ... saldandi, creditoribus de suis legitimis creditis satisfaciendum, a debitoribus satisfactionem petendum exigendum, et recipiendum habuisse confitentur. Bona haereditatis mobilia, quae confitentur. Bona haereditatis mobilia, et exceptis libris, ac nihilominus non libros vendendi, et caeteris, pro executione praesentis Testamenti, si et quatenus opus erit vendendi, et in pecuniam redigendi, et super quibusvis differentiis quae nosci nosierint, cum quibusvis personis prout ipsi Emi viderentur, et Claudio transsigendi, concordandi et paciscendi, et si eis videbitur in unum, vel plures

bonos

bonos visos concernitenti, et compromissa...
rum portiones, et concordias, et transactiones ....
iuramentis et pena formandi, cum aliis clausulis
opportunis per voluntate contrahentium, et more
loci, ubi res agetur; et tam de his, que confessi
fuerint habuisse, quam de illis, que acta recipient,
aut que per concordiam venisserint pactandi
et de omnibus quibuscumque scripturis publicis
vel privatis, cum clausulis opportunis, et abundan:
tibus; etiam sub obligatione quacumque, et
in forma Camere conficiendi, et confectas habendi
cum clausula ad omnes lites, et causas motas,
et movendas, ad agendum, et defendendum, cum
potestate substituendi; et generaliter ad omnia
hereditatis negotia pro tempore cum libera
administratione. ——
Pro partibus vero executores voluit esse Dom: J.
Jo: Baptam Alandum fratrem suum supradictum,
et Magnificos Dnos Thomasium, et Jo: Mariam
de Sanctis Mercatores Florentinos Venetijs com:
morantes supradictos semper optimos amicos suos.
absentes, et in solidum ad faciendum omnia,
que illic opus erunt fieri pro executione presentis
Testamenti. Atque hec facultas executionis
data tam executoribus in Curia, quam extra eam
competat eis statim a morte ipsius Testat:is, hereditate

rer

per alredes adita, vel non adita, nec finia=
tur anno, sed duret usque ad plenariam exe=
cutionem omnium in presenti Testamento contentorum. Et si super hoc Instrum: nasceretur aliquod
dubium voluit illius dubij, et declarationem,
et interpretationem esse penes dictos Dnos
Executores. servata tamen, de qua supra, distin=
ctione Locorum; ut pro ad negotia in Curia per=
tinent, declarent executores in Curia, quo ad
negotia in partibus declarent executores in
partibus.
Hanc siquidem dictus Dnus D. Testator asse=
ruit esse ultimam voluntatem suam, et
ultimum Testamentum, quam, et quod valere
voluit et teneri iure Testamenti; et si iure
Testamenti non valeret ratione omissionis, pre=
tensionis, vel alterius cuiuscumque solemnitatis,
voluit et vult ipsam suam ultimam volunta=
tem valere iure Codicillorum, seu donationis
causa mortis aut inter vivos, et tanquam iure
ultime voluntatis, quo melius valere poterit,
et tenere. Cassans, irritans, annullans idem
Dnus Dnus Testator omne aliud Testamentum, ac aliam
quamcumque voluntatem ultimam per eum
hactenus quocumque, seu quibuscumque verbis
etiam derogatorijs factam, et facturam ~~facturam~~.

Super

Super quibus omnibus et singulis præmissis idem
Eminens Dnus Testator sibi à me Notario Inf.[tis]
unum vel plura publicum seu publica fieri
petijt Instrumentum et Instrumenta. &c.
Actum Romæ in Burgo S. Petri, et in Palatio solitæ
residentiæ præf.[ti] Emi Dni Testatoris. Præsentibus ibidem
D. Presbitero Fran.[co] Fantono de Clemona Aquile=
iensis diœcesis, Chr. Ant.o de Olivenis Layco Neposine
diœcesis, D. Raphaele Ala de Utino Aquileiensis diœcesis
Presbitero, Georgio Warek Can.[co] Seniore Colleg.[tæ] Ecclesiæ
S. Andreæ Unovrazaviensis diœces: Stephano Apo=
cello Scholari Romæ, Ludovico Heydenk C. He=
bensis diœces. Iacobo Curak Clerico Burgensi
Lugdunensis diœces:, Ioanne Papello C. Hadensis
diœces:, Io: Bpta f.[li] D. Ant: de Filippo C. Florent:
et Germanico de Subetis Agrippa Layco Romano
Testibus ad præmissa vocatis atque rogatis.
Assistente etiam D.[no] S. Mag.[tro] Sacri Palatij Apost.[ci]
D. Thoma de Abbatia Mutinensi Ord: Præd.[um] et
D. Io. Orlando de Scocia Clerico nullius diœcesis
Secretario præf.[ti] Rmi Card.[is] Testatoris ——

(L. S. N.) Et ego Iacobus Apocellus Curiæ
Causarum Cameræ Aplicæ Notarius, quia
præmissis interfui omnibus et singulis
una cum prænominatis testibus, præsens
Instrum:[tum] subscripsi, signavi, et publicavi
rogatus. ——

Hic cadit Legalitas eiusdem Testamenti. ——